

3131

C O D I C E S

3132

1387. in qua rhythmica *Apostolorum* postremus *Martialis*, *Lemovicensium* ille primus Episco-

pus medio demum Sec. III. *Roma* missus, ita adpellatur:

*Sancte dei marcialis munda me a cunctis malis.
Et possim placere Christo, in cuius conspectu sisto.*

Et tum reditur ad *Stephanum* Protomartyrem. Hinc succedunt *Les XV. ioies nostre dame*, et *Les V. plaies nostre seigneur* cum quibusdam Hymnis *gallicis* de Trinitate et Deipara. Officium denique Defunctorum *Codicem* magni pretii externi finit, quem, ut quid divinam, *Elisabeth Maximiliani II.* filia mortuo Marito *Carolo IX. Franciae Rege Viennam* redux penatibus *Austriacis* intulit. Adscribam, quod narrat *Job. Gans* in vernac. Gynecaeo *Austr. vulgo Oesterreichisches Frauenzimmer*, *Colon.* 1638. p. 288. 8. Orantis in quadam Ecclesia *Parisiensi Elisabethae* scabello a quodam Senecione ignoto impositum nec verbo dicto artificiosissimum Librum in forma 4. cumque Regina oculos in eum vellet intendere, Virum evanuisse. Statuat Lector.

DCCCXCI.

965 Codex membraneus belg. Sec. XV. Folior. 163. 4. nitide perscriptus, literis initialibus, et marginibus multis auro, picturaque variis, et insuper Iconibus grandibus vividis VI. speciosus *Horarium* est sequentia complexum: *Calendarium*, quod Indiget *Belgii* multos miniatos, in-

signi vero etiam Librarii officiantia *Michaelem apostolum* exhibet, *Onser lieuer vrouwen Getide*, *Getide van der ewiger wysheit*, *die lange cruus getide*, *die beilige geest getide*, *die seuen salme van penitencien* cum *Litaniis OO. SS.* pariter *Sanctis Belgicis* repletis, demum *die langhe vigelie der zielen*. Icon I. fol. 14. p. 2. in limbo florido habet annum 1487. et literas *Sprinc*, nomen fortasse *Pictoris*. Fol. 68. in limbo simili Angelus Insignia argentea rubro fasciata ostentat, quae ex *Nobiliaire des Pays — Bas T. I. Lovan.* 1760. p. 311. *Stirpis du Forest* esse arguo, cui consonat, quod *Codici* praescriptum est: *Dit Boeck boort for Joost Willems S. van Forest*; cumque gliscentibus Seculo sequente per *Belgium* erroribus Libri ad Sacra pertinentes Censoribus submittendi essent, inferius adjicitur: *Niet voerboden int placet*, anno domini 1570. Ita attestatur *Fr. Nicolaus Coustelier Junij 13.* Silentio nolim praeterire *Foll. 87. 130. et 163.* adglutinatas Icones lineari tantum pictura eleganter admodum informatas, quarum ultima tamen coloribus induci coepit, quaeque omnibus potiores sunt, quas *Codex* censet.

DCCCXCII.